Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 423

Quelle:
Copyright:



mento *Sermo Auguſtini* extat Edit. *Opp. Maur.* T. V. *col.* 41. Spurii duo habentur in *Append.* ejusd. T. *coll.* 40. et 42. Atque his et *Origenis Homil. in Exod.* maſcule uſus eſt Noſter, hoc diſcrimine, quod illi Plagam Praecepto, hic vero Praeceptum Plagae conferat, atque ita ordiatur: *Prima plagarum quibus dominus egiptum percuſſit, aqua fluminis uerſa in ſanguine fuit. Eleuauit aaron uirgam* &c. *Primum preceptum fuit de colendo uno deo* &c. In fine ſubjungit aliud Παραλληλον Plagarum *Aegypti*, et Perſecutionum ab Imperatoribus Rom. Eccleſiae primitivae illatarum, et alia Hermeneutica e PP. ad *Moſis* miſſionem in *Exodo* pertinentia. Ad initium manus ſat vetuſta adſcripſit: *Eckebertus autor eſt;* verum nemini *Eckebertorum*, *Ecbertorum*, *Egbertorum* hujusmodi quid a Literatoribus tribui video.

II. *fol.* 10. *Incipit tractatus quomodo dicatur deus habere caput et oculos et cetera membra.* Initium: *Omnipotens deus pater et filius et ſpiritus ſanctus unus atque trinus* &c. Ex *Eucherii Lugd. Formulis ſpiritual. Intelligentiae* maximam partem depromtus, legitur T. VIII. *Auguſtini append. col.* 67. paullo productior titulo *de Eſſentia Divinitatis*, et T. XI. *Hieronymi Vallarſ. col.* 138. inſcriptus: *De his, quae Deo in Scripturis ſanctis attribuuntur*, quin et *Ambroſii*, et *Anſelmi*, et *Bonaventurae* jam in Codicibus nomine inſignis. In noſtro adjectae ſunt diſcuſſiones aliquae, videlicet: *Primus homo immortalis factus eſt. Queſtio de originali peccato. Diſtat inter noſtra et legalia ſacramenta. De Corpore et Sanguine Domini* cum locis PP. *De Salomone* ſubfabuloſum. *Quod omnes artes ſeruiunt diuinę paginę*, ſimul cum quadam Introductione in ſacrorum Librorum notitiam, ubi inter alia legas: *Sunt autem quedam apocrifa id eſt dubia uel priuata. Dubia quia eorum* (Autorum) *nomen ignoratur. Priuata quia non ſunt recepta in fideli ſinagoga. Vt iudit. tobias. Eccleſiaſticus. Liber ſapientie ſalomonis. Iheſus filius ſyrac. Duo libri machabeorum.* Quo loco per *fidelem Synagogam* Canonem Hebraeorum, et per *Apocrypha* Deuterocanonica intelligere licet.

III. *fol.* 19. *Incipit prologus in libro viatoris.* Ita: *Nauigantibus hoc mari magno et regione preſentis peregrinationis laborantibus contigit interdum non nullos eorum portum ſalutis attingere non nullos uero non portum tenere poſſe ſed fluctuatione demergi* &c. *Hac igitur inſpectione commoti*, pergit Autor, *inter curiales noſtras ſollicitudines — hunc libellum edidimus. in quo diem preſentis temporis totam ut poſſumus peragamus. ut nocteſcente in ueſpera. optata pacis tranquillitate dormiamus in domino* &c. Sequitur Elenchus *Capitum* CCCI. quorum I. *Qui ſunt tres dies perfecti*, et ult. *Anacephaleoſis hoc eſt recapitulatio ſacramentorum.* Operis titulus: *Incipit uiator preſentis diei qui uoluitur inſtantibus mutabilitatis poſt crea-*